

inspectoribus universis, quod nobis Confluencie in presencia serenissimi principis et domini domini Lud(wici) Romanorum imperatoris corporaliter constitutis ad ordinandum contra suos et imperii ac eciam nostros emulos et rebelles pro recuperacione suorum ac nostrorum bonorum, iurium et honorum, maxime tamen per Phillippum de Vallesio pro rege Francorum se gerentem in ipsius ac nostri nominis ignominiam minus debite detentorum, nostros felices progressus et pro detencione sua ac aliorum principum et nobilium Alemanie comitiva, quia prius per alias nostras litteras promiseramus solvere certis terminis iam elapsis prefato domino imperatori quater^a centum milia florenorum, de qua summa ter centum et viginti milia florenorum adhuc restant persolvenda, ex nunc promittimus eidem residuum dicte summe non solute nos daturos et integraliter soluturos subscriptis terminis, videlicet in festo Circumcisionis domine nuperrime adventuro bis centum milia florenorum et in die Palmarum¹ postea proxime subsequente tercium centum et viginti milia florenorum, de quibus summis et mutuo prescriptis iuxta commune cambium et Coloniense pagamentum sibi certisque suis nunciis per ipsum ad hoc^b deputandis in Antwerpia omnimode satisfaciemus terminis memoratis ac dictas pecuniarum summas eisdem nunciis numerabimus et extunc assignabimus indilate. Et si forte in terminis prescriptis vel altero eorundem dictum mutuum

a) Auf Rasur. b) 'ad hoc' über der Zeile nachgetragen.

scripto superius de verbo ad verbum conscriptas sigillo regio excellentissimi principis domini Edwardi regis Anglie necnon dominorum Reynaldi ducis Gelrie ac Wilhelmi marchionis Iuliacensis sigillis predictorum, prout prima facie apparebant, sigillatas omni suspicionis vicio earundum carentes vidi, legi, tractavi et collacionem de ipsis originalibus litteris ad presens transcriptum feci necnon hoc presens transcriptum ad requisicionem serenissimi domini domini Lud(wici) imperatoris Romanorum in hanc publicam formam redactum signo meo signavi solito et consueto, super eo cum diligentia ut premittitur requisitus. Acta sunt hec anno Domini MCCCXXXIX, indictione septima, pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini domini Benedicti digna Dei providencia pape XII. anno quinto, XXI. die mensis Iulii, quod fuit ipsa die beate Praxedis virginis, hora diei immediate circa vespas, in sacristia monasterii . . . fratrum Theutunicorum domus in Sassenhusin prope Frank(enford) dicte Moguntine dyocesis, presentibus reverendis in Christo patribus et dominis dominis Heinrico archiepiscopo Moguntine, Gerhardo episcopo Spirensis ecclesiarum, illustre principe domino Ruberto duce Bawarie necnon spectabilibus viris dominis Bertholdo de Hennenberg, Gerlaco de Nassowe, Ulrico de Wurtenberg et Lud(wico) de Ötingin comitibus ac magistro Ottone dicti domini . . . imperatoris notario necnon quampluribus aliis nobilibus et fidedignis pro testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis. 1) 1339 März 21.